



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Argumenta secundæ sententiæ solvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

eius in actu secundo seu ut actu terminantem, sic dici possunt simul natura formaliter secundum aliquos; secundum probabiliorem autem opinionem terminus ut sic posterior natura est relatione, quia ut supra dictum est, terminus ut sic terminans formaliter, constituitur per extrinsecam denominationem à relatione, quæ in illum tendit: unde illa posita, sic denominatur, & illa ablata, desinit esse hoc modo terminus, nihil intrinsecum amittendo, ut per se notum est.

Unde in forma nego sequelam, nimirum, patrem ut patrem non esse simul natura cum filio, ut filius est, sed ut est hic homo genitus, imo sicut hic homo, ut genitus est prius natura, quam ut filius, ita etiam est prius natura quam pater ut pater, quamvis sit posterius natura, quam hic homo, ut generans, & ideo quamvis pater ut sic terminetur ad hunc hominem, ut à se genitum, nihilominus non prius natura terminatur ad ipsum quam in ipso sit filiatio, non propter terminationem formalem ad ipsam filiationem, sed propter simultaneam concomitantiam omnino necessariam, ut declaratum est; quapropter licet hic homo, ut genitus sit prius natura quam ut filius, tamen in illo priori ut sic nondum intelligitur in patre paternitas, imo verissime etiam dicitur prius natura esse hunc hominem ut genitum, quam in patre sit paternitas: nam ex positione unius termini cum fundamento quod est in generante, resultat paternitas.

Ad confirmationem concedo formaliter loquendo unam relationem non pendere ab alia, nego tamen inde sequi non esse simul natura naturaliter loquendo, propter rationes dictas, nam potius si proprie ac formaliter una ab alia penderet, non posset non esse una prior natura alia; quia ipsamet dependentia est quædam posterioritas naturæ; quia vero habent necessariam concomitantiam absque ullo ordine inter se, ideo sunt simul natura.

Ex hoc præterea constat, quid dicendum sit de similitudine cognitionis; nam eadem propositione dicendum est formaliter, & immediate relationem non pendere in cognitione nisi à suo termino, (sive sit relatio talis terminus, sive sit absolutum, ut prima, & secunda conclusio explicuimus) secundum propriam rationem terminandi, & non secundum aliam relationem simul natura cum ipsa resultantem in termino huius, ut late diximus supra.

SVBSECTIO II.

Argumenta secunda sententiæ solvuntur.

AD primum respondeo non esse contra nos, sed potius pro secunda nostra conclusione, ubi asserimus, relationem mutuam non terminari ad aliam simul natura cum ipsa, sed ad fundamentum illius; v.g. paternitas non terminatur ad filiationem immediate, formaliter, & per se, sed ad genitum, terminatur autem ad filiationem, media oppositione resultante in ipsa paternitate; unde si relatio oppositionis immediate, & formaliter terminatur ad filiationem, & sic inter relationes mutuas paternitas terminatur ad absolutum, & non ad relativum ut asserit nostra secunda conclusio, & oppositio ad relativum & non ad absolutum, ut docet prima conclusio nostra; cum hoc

tamen stat, ut nulla relatio mutua terminetur ad aliam quæ sit simul natura secum; quia terminus semper est prius natura quam relatio, quæ ad illum terminatur, & sic argumentum P. Suarez nihil contra nos habet, sed potius absolute nostræ sententiæ favet.

Ad secundum argumentum respondeo, neque in quantum relationem ut sic, neque in quantum relationem mutuam ut sic petere relationem terminari ad relativum, sed potius in quantum talis relatio mutua est ex vi differentie illius propter rationes positas in prima conclusione, videantur ibi latissime posite.

Ad tertium distinguo sequelam, sequeretur non posse unum cognosci, aut definiti, nisi per alterum, quod fuerit prius natura, quam ipsum, & à quo specificatur, & ad quod tendit formaliter, concedo; quod fuerit simul natura cum ipso, eo modo quo filius ut filius est simul natura cum Patre, ut Patre, nego, propter rationes supra longè lateque positas in probatione nostræ conclusionis; neque ex eo quod unum relativum dependeat in sui cognitione, & definitione ab altero relativo non posterius natura, nec simul secum, sed potius prius natura quam ipsum, sequuntur absurda de circulo vitioso, nugatione & cæteris, quæ erueri intendebant adversarij, & quæ sine dubio sequerentur, si tale relativum dependeret in sui cognitione ab altero relativo simul natura secum, & definiretur per ipsum ut patet ex ijs, quæ supra diximus sect. 3. subsect. 7. pro secunda conclusione, agendo de autoritate Aristotelis, videantur ibi dicta quibus sciens, & prudens super sedeo, ne cum fastidio Lectoris actum agamus.

SVBSECTIO ULTIMA.

Argumenta tertia sententiæ solvuntur.

AD Caeteranum nego Aristotelem protulisse verba quæ pro se asserit, alia enim protulit Philosophus, quæ nobis favent, & ipsi adversantur, & sic se habent, ut mensurabile, & scibile, & intelligibile ideo dicuntur ad aliquid, quia aliud ad ipsa dicitur; nam intelligibile significat, quod in eo versetur intellectus; quæ verba nihil aliud denotant secundum communem sensum Doctorum; ideo intelligibile, visibile, scibile, &c. pertinere ad prædicamentum Ad aliquid, & poni in ipso, non quia sint ipsa formaliter ad aliquid, seu relativa, sed potius quia sunt termini relationum tertij generis, sine quibus nullo modo, aut essent, aut intelligerentur tales relationes, quia relatio essentialiter petit terminum sine quo, neque esse, neque intelligi potest, & hoc sonant illa Verba, scibile, & intelligibile; ideo dicuntur ad aliquid, id est ideo pertinent ad prædicamentum relati-onis, quia aliud ad ipsa dicitur, id est quia ipsa terminant relationes aliorum: ex quo non debet colligi, ut male arguit Caeteranus, scibile, intelligibile, visibile, &c. esse relativa, & ad aliquid formaliter constituique in esse talium non per relationes, quæ sint in ipsis, sed per relationes, quæ sunt extra ipsa, & existunt, seu inhaerent intrinsicè in scientia, intellectu, & visu, quia hoc est impossibile, ut supra late demonstravimus; nam relatio non denominat relativum, neque constituit respiciens, nisi existendo intrinsicè in subiecto, ut de se patet.

QUESTIO